

VESPERTINVM  
LAMENTABILE  
EXORDIUM

IN REGIIS HONORIBVS  
HISPANORVM REGINÆ  
& DOMINÆ DOMINÆ MARIÆ, LUDO:  
VISÆ, GABRIELÆ  
a SABAUDIA,

QVAM SERTORIANA OSCENSIS  
Vniversitas incesanter planget.

*LAVORAVIT, AC ACADEMIÆ  
nomine recitavit publicè in Cathedrali Ecclesiæ  
R. P. M. F. LAURENTIUS SANCHEZ, in eadem  
Vniversitate Sacræ Theologiæ Doct. Vespertine  
Cathedræ Moderator, Synodalis Oscensis Exami-  
nator, & in Regio Predicatorum Conventu  
Studiorum Regens.*



OSCÆ: Ex Typographia Iosephi Laurentij  
de Larumbe, Vniv. Typ. Anno 1714.



VESPERTINVM  
LAMENTABILE  
EXORDIUM


IN REGIIS HONORIBVS  
HISPANORVM REGINE  
& DOMINE DOMINE MARIE LUDOVICAE  
VISE, GABRIELE  
& SARABUDIA

QVAM SERTORIANA OSCENSIS  
Universitas incelsanter plangit.

AVTOR AVT. MC NACAD E M I A  
nomine rectoris publici in Cathedrali Ecclesia  
R. P. M. F. LAURENTIUS ZANCHEZ in eadem  
Universitate Sacre Theologie Doct. Vespertinae  
Cathedrae Moderator, Synodalis Officii Exami-  
nator, & in Regio Praedicatorum Conventus  
Sindacatus Rector.

OSCENSIS: Ex Typographia Iosephi Laurentij  
de Laramba, Vniv. Typ. Anno 1714





**ILLVSTRISSIMO VIRO,**  
**DOMINO D. FRANCISCO PORTELL**  
in Sacro , ac Supremo Castellæ Senatu  
Consiliario meritissimo, &c.

**ILL. <sup>me</sup> Dominans.**



**Q**MNIA flumina intrant in Mare , & Mare non redundat, sic ergo in tui dolentissimi cordis oceanum, Sertorianę lachrymę tēdunt, ut iuxta flumina, pessimo , & vltimo furore icte, amaricatum valde construant aquarum pelagum. Quare at? Heu memoria dolor! Perit Regina nostra Domina D. Maria, Luisa, Gabriela, à Sabaudia. Dicam meliùs: Perit vterque Orbis ; & te, O Patrone noster dolens, sciso pectore, quærimus absq; solatio horphani Sertoriani. Sistunt decursata merita; At sub vmbra alarum tuarum respiramina optam<sup>9</sup>. Admitte hæccine. O Mœcenas Studiorum, etsi maximè afflictè , thura redolentia nostra , vt quidem per Orbem totum, Sertoriana Celebrata Vniuersitas, tuæ Dominationi dicata, & dicat, & offerat, pro debito, pro tanta defuncta Maiestate Sacrificia. Vale , vt nobis pereniter vivas.

Tuæ Dominationis  
Maximas optat foelicitates.

*Sertoriana Oscensis Vniuersitas;*



DE REBUS SACRIS ET ECCLESIASTICIS  
SACRILEGIIS ET ABUSIBUS  
IN SACRO SACRAMENTO  
EUCCHARISTIAE

ILLVSTRISSIMO VIRO,

DOMINO D. FRANCISCO PORTALLI  
in sacro, ac Supremo Castellae Senatu  
Consilliano meritisimo, &c.

III. de Dominis.

MNI A. Dominis inquit in Mare, & Mare  
non rediunt, ac ergo in rei dolentissimi  
cordis oceanum, deterritae lachryae  
dant, in iuxta funia, petimo, & vltimo  
furore iste, amantissimum valde consueque  
apertum pelagum. Quare si hanc memoriam doloris  
sive Regis nostrae Dominae, Luisa, Gabrielis,  
& Sabaudiae. Dicant melius. Peris verique Orbis; & sic  
O Patrone noster dolens, lasso pectore, patrimus ab ipi  
solatio orphanis deterritae. Siftunt decurata metras  
A. sub vmbra alarum tuarum respiciamus optime. Ad  
tunc hinc. O Mentes studiorum, est maxime al-  
fide, pura redolentis nostrae, ut quidem per Orbem  
totum, genitorum Geographia Vniuersitas, tua Dominae.  
tioni dicat, & dicat, & offerat pro deo pro tanta de-  
tunda Maestrate Sacrae. Vale, et nobis peruenit



Te Dominis  
Maximas optat feliciter.

Antonia Offici Vniuersitatis





# AD VESPERVM

## DEMORABITUR FLETUS.

**S**TAT sua unicuique dies. Sistit unicuique sua mors; parat tamen hæcine tragica obitum omnibus dies. (O auditores mei amplissimi unde quaque mærore afflicti, nam amplius dicere nefas est.) Quid ergo nobis accidit hodie? Est ne lugendum, dum apud vos sisto me? Facile hoc esset, si in luctuosam maris tempestatem mæstissimum nostri cor iam, iam non accessisset. Hæreat vox faucibus, gelidusque ruat è corpore sanguis, & obcæcata mente ipsa verba absque conceptu sileant.

2 Hæc acris, timendaque Oratio ignorat quo tendit? Utinam; aptius quidem esset emori semel, quàm paulatim demergi fluctibus, & quasi Ixionis morsibus dilaniari. Scis Hispania, nescis haud, vastissimi tui Corporis molē tot ictibus effossam, & excordatam esse, quot



in Oceano arenis opræssa littora iacent? Serē-  
nissima Domina, D. MARIA LUDOVIS-  
SA GABRIELA à Sabaudia, Regina nostra  
( heu færa vox satis semper inimica secundis )  
extat à vita emancipata. Audimus, & nostra  
non scindimus corda? Quis erit quæssio tā fer-  
reus? quis tam saxeus? qui non potius ubertim  
effundatur in lachrimas? Quis dabit capiti meo  
aquam, aut oculis meis fontem lachrimarum,  
& communem amissæ tantæ Reginx unâ vo-  
biscum calamitatem plorabo? Amisit enim  
Hispania nostra Reginam, & Matrem, & me-  
lius dicam Matrem, quàm Reginam, in qua  
summa erant omnia; in qua gravissimis, & pe-  
riculosissimis nostris temporibus omnis salutis  
nostræ spes tutissimè collocata fuit. Amisit  
Hispania nostra Reginam optimam, specie cla-  
rissimam, pulchritudine Egregiam, vultu  
Iucūdā, animo Grata, ingenio Vivam, pru-  
dentiā Raram, omnibus Unam, universis de-  
nique, tūm Corporis, tūm Animi Regijs Vir-  
tutibus venustam, & onustam. Amisit Im-  
perium nostrum Tutelam certissimam, & in-  
gens Propugnaculum; quo circa maximam  
spem rerum nostrarum in huius Reginx nos-  
træ Virtute, atq; Authoritate collocaveramus.  
3 Sed O vanas hominum Spes! O fallacia



tia vota! O innanes nostras cogitationes! O inevitabilem humanæ naturæ necessitatem! Ecce, cuius vitam, quam longissimam optabamus, quinque nondum peractis lustris, heu pietas exanimè audimus. Hanc, cuius fecunditate, tot votis desiderata, Hispania nostra congaudebat, hanc Filiorum Matrem lætantem, proh dolor, Cadaver effectam intuemur. O infaustam diem, qua te charissima nostra Regina, amissimus! O luctuosam diem, qua nuntium tuæ mortis acervissimum accepimus! O lachrimabilem iterum, atque iterum lucem hanc, qua te vita functam vidimus! Utinam perisset dies talis, & uti Job dicebat, nec annorum esset numero computanda, in qua Hispanici Emisferij fuit Sol obscuratus, & illius aurum primi mutatus est color optimus.

4 Sed quo feror demens? Leniturus acerfor, non exasperaturus doloris acerbitate. Quo circa considerandum nobis maturius est, quid mali Regine nostræ innocentissimæ mors ipsa afferre potuerit, quo nobis dolendum censeamus. Nam si ad ipsam, vita functam, animum referamus; si tali lege nata est, ut ex humanis aliquando decederet, nihil profecto est, quo illius mors dolenda videri possit; quippe, quæ mortalitati eius finem, & initium dedit immortalitati; quippe, quæ laboribus, & anxietatibus



tibus antea etæ vitæ, quietis ianuam aperuit, ut  
cum Cælitibus ( ut puto ) immarcescibilem æ-  
ternæ Gloriæ Coronam possideret.

5 Quod si nostra causa ingemiscimus, quod  
firmissimum præsidium, atque Ornamentum  
amplissimum amisserimus ; quod Catholico,  
& amatissimo Regi nostro PHILIPPO, dul-  
cissimum, & charissimum consortium, dul-  
cissimis, & charissimis Filijs Maternum sola-  
tium, illius interitu, sit sublatum, amarissimè  
proculdubio ingemiscere debemus. Ego tamē  
illud consolandi genus, & dolentibus præsen-  
tissimi remedij, & audientibus summæ utilita-  
tis esse judico, ut defunctæ Reginæ nostræ vi-  
ta, innocenter præclare, omnique cum laude ac-  
ta, recenseatur. Quamobrem benè, à mayori-  
bus institutum est, & à Sertoriano nostro A-  
theneo sanctissimè custoditum, ut de clarorū  
Virorum, suorumque Regum laudibus, fune-  
bres Orationes haberentur. Quod quidē tam  
egregium, honestūque laudandi munus (quod  
non, nisi à summis Ingenijs, clarissimisque O-  
ratoribus tractari pro dignitate potest) obitu-  
rus meritò reformidassē, cum neq̄; usum, neq̄;  
ingenium, nec eloquentiā deniq̄; meam, parem  
huic loco auctoritatem præstare posse confi-  
dam; si iniungentis auctoritati, & benevolen-



tia possē obstrepere: Sed tamē Sertorianā nost-  
re iussis quomodo refragarer? Itaque cōpresso  
paulisper dolore, in publicū lugubris, & mæs-  
tus pro deo, onus impositum, vel qualicumq̄;  
sermone obiturus.

6 Nec enim id ago, ut **MARIÆ LU-  
DOVISSÆ** laudes pro meritis aequi pergā;  
quandoquidem tanta sit rerum dicendarum  
copia, quod (ut Orationis metas non excedat)  
capita solūm, vel ad summum fastigia rerum  
complectetur: quæ dum brevibus absolvero,  
præcor, & obsecro, benignas sitis & aures, &  
mentes adhibitori. Sed quo me vertam?  
Quid primūm, vel dicā, vel præteriero? Luctu  
omnia complectere dolor iubet; è diverso di-  
cendi Series ordinem postulat.

7 Qua in re non videbor absurdè facturus,  
si generis Nobilitatem præmissero, quæ pro-  
fectò, si ullis unquā clarissimis fæminis Splen-  
dida fuit; **MARIÆ** nostræ **LUDOVISÆ**  
splendidissima iure censeri debet. Nemo enim  
est, qui nesciat, Altissimi, Potentissimique Do-  
mini Victoris Amadei Sabaudia Ducis, &  
nunc Sicilia Regis, esse secundo genitam: quæ  
præcella Domus, præterquamquod è Stirpe  
Saxonica Originem trahit, multorum Prin-  
cipum propinquitatibus, & affinitatibus cohe-



ret. Octies enim fuit Connubio iuncta cum  
Imperatoribus ; quinques cum Christianissi-  
mis Franciæ Regibus ; deciesquater cum Prin-  
cipibus Regij Sanguinis in Francia ; quinques  
cum Domo Austriaca ; ter cum Regibus Sici-  
liæ, & Hyerusalem ; bis cum Regibus Portu-  
galliæ ; semel cum Regibus Aragoniæ, Poloniæ,  
Angliæ, Scotiæ, Cypri, & Boemiæ ; bis cum  
Regibus Castellæ, & Legionis ; & nunc de-  
mum cum Magnanimo, Inviecto, Catholico,  
& Amantissimo Hispaniarum Rege nostro  
PHILIPPO, quem Deus incolumem servet:  
ex quibus Coniugijs, per plurimas ætatū Suc-  
cessiones, integerrimi, iustissimi, & omnino  
optimi Principes (quod laudatissimum puto)  
prodire. Quibus maximo est Ornamento Bea-  
ta Margarita, quæ in Regia Sabaudiæ Ducum  
Concha progenita, & à Sæcto Vincentio Fer-  
reri ad altioris perfectionis studium incensa,  
Religionemque Sanctissimi Patriarchæ Do-  
minici professa, apud Albam Pompeyam ad  
eam vitæ perfectionem, & Sanctitatem perve-  
nit, quod innumeris patratis miraculis, & à  
Clemente X. Pont. Max. cognitis, inter Divos  
sit relata: huic ergo toto cordis affectu depre-  
cor, ut suæ Neptæ **MARIÆ LUDOVISÆ**,  
immemor nequaquam existat. Tali itaque Fa-  
milia,



milia, & tali Patre Regina nostra est genita,  
qualem vos, aut certè legistis, vel audistis; per-  
petuis enim suæ famæ buccinis totus insonat  
Orbis.

8 Matrem habuit Serenissimam Domi-  
nam Anam de Borbon, lectissimam Feminam;  
Serenissimi Domini Philippi de Borbon Du-  
cis de Orleans Filiam, & **LVDOVICI XIII.**  
Francorum Regis Neptem. Ipsa verò Ana, eo  
ingenio, ijs moribus, ijs etiam bonis artibus;  
ea vitæ continentia, atque prudentia est, ut nō  
plus illi Pater, aut Familia, qua nulla quidem  
aut maior, aut splendidior est habita, quam  
certè illa utriusque Ornamenti, atque gloriæ  
addiderit. Tum immorari iam diutiùs nollo  
in huius Femine Virtutibus, quasi præteriens  
repetēdis, quam pro dignitate laudare vix pro-  
pria, atque longa Oratione quemquam posse  
satis commodè existimo; & ut uno verbo di-  
cam: sufficiat illi filiam habere **MARIAM**  
nostram **LVDOVISAM.**

9 Ab ijs Principibus, à selectissimis ijs  
virtutum Cultoribus, Regine nostræ natales  
processisse, non potest non esse amplissimo præ-  
conio dignum. Quid enim præclariùs, quàm  
summa generis Nobilitas, summis coniuncta  
virtutibus? Iam mirari cessabimus, tot virtu-  
tum



tum dotes in alma nostra Regina reluxisse: quæ enim in nobilissimis Mayoribus suis ornamenta per partes difulserunt, ea collecta, & quadam generosi Sanguinis propagata serie, in alma nostra Regina se tota infuderunt, ut ita genuina illa virtutum semina, propria illustrare animi rectitudine, insignibus factis proficere, quodam naturæ impullu contenderit. Hinc eximia illa in Deiparam Virginem, quasi nativa devotio; hinc maxima illa in Christi Religionem, & cultum fervida pietas; hinc illa in perferendis laboribus virilis, & egregia constantia. Quid liberalis ipsius facies? quid heroica illa corporis dignitas? quid ingenij præoptitudo? quid incredibilis memoria? quid denique in omnes larga beneficentia?

10 His virtutibus, ac optimis vitæ institutis à Catholico Rege nostro PHILIPPO adamata, feliciq; connubio iuncta è Sabaudia ad Regium Hispaniæ Trhonū fuit translata. Haud facile dictu, quanta animi gratulatione, cummulataque lætitia, ab Hispanis fuerit excepta, & proclamata; sic enim in omnium corda sensim irrepserat; sic præcipuè Aragonū, ubi Generalibus Comitibus præfuit, mentem sibi devinxerat, ut quæcumque ipsa cogitaret, diceret, aut decerneret, omnes perinde rata, ac



firma haberent, ac si ab ipso Deorum immortalium numine proveniret; omnes enim eius cogitationes, omnia studia, omnia vota, non alio tendebant, quam ut iustitiam coleret, clementiam monstraret, iucunditatem ostenderet, & Populorum suorum, tum commodo, tum glorie, & tranquillitati studeret. Quare tantus erat omnium consensus in ipsa diligenda, atque observanda, ut nihil utilius ducerent, quam optimæ Regine voluntatibus assentire.

II Sed hæc voluptas huius tranquillitatis, & lætitiæ non diuturna Hispanis fuit. Statim enim, pluribus orbis terræ Principibus, vel fædere, vel amicitia, vel commoditate, vel alio iurium quæsito colore, in unum colligatis Armorum strepitu Hispaniam invaserunt; tranquillitatem turbarunt; Opida expugnaverunt; Sacra profanarunt; quæsum est intestinis, & domesticis disidijs Regis nostri Patrimonium; quotidie tumultibus, cædibus, & rapinis quorundam temeritate, cupiditateque fuit fædatum; turbata est semel, atque iterum Regia Matritensis Curia; tanta denique (ut Hyeremias verbis utar) *super contritione vocata est contritio*, ut ad ipsam Matrem, & Reginam nostram aspicientes, cum eodem Hyeremia, meritò lamentari valeamus: *filia Sion magna est velut mare contritio tua;*



quis medebitur tui? Ipsa enim dilectionis philat-  
tro vulnerata; PHILIPPI laboribus concussa;  
acerbissimis nuntijs atterrira; & tota die ma-  
rore confecta; Regia Curia spræta, viamque in-  
viam, spinis, & laborum tribulis confitam vi-  
rili constantia, & fortitudine Regia carpens, in  
Regiones abiit longinquas; accipere, inquã, sibi  
Regnum, & reverti; in victoriam enim profec-  
ta est, inditium planè fælicitatis futuræ: parta  
liquidem insigni Victoria, hostibus cæsis, cap-  
tis, & in fugam coactis, tot denique superatis  
tempestatum procellis, in Regiam Curiam re-  
gressa est, velut speciosa Columba, cesantibus  
dilluvij aquis, secum portans virentis olivæ ra-  
mum, Serenissimum inquam Dominum LU-  
DOVICUM FERDINANDUM Principē  
nostrum, verè nondum natum, & iam labori-  
bus idoneū, ut sic Patribus suis se dignum esse  
ostenderet, atque simillimum. Multa, quæ de  
his proferre possem, silentio præterire cogor,  
ne nimius videar, vel potius, quia historiam  
non scribo, sed solum eximias nostræ LUDO-  
VISÆ virtutes summam laudo, pro quibus  
comprobandis aliquid in memoriam revoco;  
mortuos tamen testes non adhibeo.

12 Itaque, ut paucis explicem, atque am-  
plectar, quod sentio libet mihi unã boviscum

(Am-



( Amplissimi Auditores ) nostram miseram sortem lamentari: libet de humanis conditionibus, deque naturæ legibus conqueri. Nam illa ipsa Regina nostræ tam grata, tam excellens, tam eximia pulchritudo, corporis illa strenuitas, atque proceritas non diu sanè unâ cum illa adstiterunt: ut se ostendere tantummodò voluisse videretur, permanere noluisse, quo magis postea nos illius desiderio conficeremur.


13 Adversa enim valetudine, ardentissimisque febribus laborare cepit, qui quidē morbus ita demum prolixitate invaluit, ut ipsam ad extremum usque perduceret; quem tamen ipsa tali patientia sustinuit, talique constantia toleravit, quod nec medijs illis crutiatibus, exultisque febribus vocem ullam unquâ, aut gemitum edidit; non enim suam illa vicem, aut floridâ Ætatem doluit, quinnimo caduca despiciens, Mayestatemque cineris meditatione, deponēs, omnibus ijs, quæ à Religione præcipiuntur, peractis, Ecclesiasticisque Sacramentis devotissimè susceptis, ita tràquilè decelsit, ut nō aliam in vitam, sed aliam in Domum commigrare videretur,

14 Opinione ego illam sua frustratâ non adbitror: in Cælesti Patria ( ut piè credimus ) requiescit, quæ propè nullam in terris requiem  
ha-



habuit: Pace fruitur tranquillissima, quæ nullam antea vidit tranquillitatem. Immarcescibili gaudet Corona, quam sibi ex virtutum gemmis, & auro, quod per ignem tribulationum probatur, fabricavit in terris, iamque perinde felix dici potest.

15 Sed illius infelix domus, hæc me dolore conficit, hæc maximè perturbat. Minus infelices illi duo tenerissimi, Serenissimiq; Domini Infantes PHILIPPVS PETRVS, & FERDINANDVS, eo quod, cū nihil adhuc percipiāt, quæ Matre sint privati, nesciūt. An eo forte etiam magis infelices, quò minus infelicitatē suam sentiunt? Infelix certè Dominus LVDOVICVS FERDINANDVS Asturiarum Princeps, quod id iam cognoscit, & ea tamen est Ætate, quæ nullas ad resistendū dolori vires habeat. Infelicissimus verò Sponsus, amantissimus Rex noster PHILIPPVS, tantorum dolorum gladio transerberatus, qui Filiorum lachrymis affligitur, mæstissimaque, & præmatura viduitate contabescit. Nihilominus (Proceres Amplissimi) his omnibus vulneribus aliquantulū mederi potestis. Amplexamini totam domum: nullum, quod pios Viros deceat, Officiū prætermittite. Amorem, concordiam, justitiam, atque fidelitatem servate: sic, & vestrum munus adimplebitis, & grati ab omnibus iudicabimini. Dixi.



*Me, & dicta mea Ecclesie correctioni, fideique purgati libens subijcio.*